

sii ex legato Ios. Scaligeri et ex Ed. Bernardi bibliotheca in Bodleianam Academiae Oxoniensis transiit. v. Elmsl. ad Med. p. 78. not. s. Est etiam alia editio cum Scaligeri notis ornata, de qua vide sub *Duport*.

Steph. HSteph. Codices Henrici Stephani, qui in libro „Annotations in Sophoclem et Euripidem Paris. 1568. 8.” in scripto varias lectiones ad Rhesum et reliquas postremas fabulas e duobus codd. Italicis dedit. De his libris, ubi habeantur, nunc non constat. v. Matth. praef. T. vi. p. xiv. Cum Brunckio, suspecta sibi esse, quae de codicibus in Italico itinere inspectis tradiderit Stephanus, monet Elmsl. ad Bacch. 235. Commemorantur lectiones ad vs. 53. 207. 245. 249. 713. 823.

Vaticanus, cum scholiis, quae edidimus correctiora. De eo iam accipe praefatiunculas edit. Glasguensis.

AD LECTOREM.

Notandum est horum Scholiorum notitiam, quorum apographum (hic verbum verbo impressum) pro singulari sua humanitate arcessentibus nobis misit vir doctus Hieronymus Amatius, deberi omnino Elmsleio. Is in Indice Codicum ad suam Euripidis Medae editionem sic incipit:

„Rom A. Vaticanus 909. bibliothecae Vaticanae, bombycinus, scriptus saeculo duodecimo, ut ab optimo harum rerum iudice audiui. Inter omnes fabularum Euripidearum codices, quos possidet bibliotheca Pontificia, hunc praestantissimum simul et antiquissimum appellarunt custodes. Complectitur novem tragoedias, primas septem scilicet, Troadas et Rhesum. Rhesus in fine mutilus est. Omnibus accedunt scholia in margine scripta, glossae interlineares, necnon variae lectiones, quarum nonnullae ab ipso codicis scriptore additae sunt, pleraeque vero a diversa eaque non una manu. Textum huius fabulae, quem exhibet codex, bis cum Aldina editione contuli, omnesque fere varias lectiones a librariis indicatas enotavi. Scholia vero quae lectu difficiliora sunt, propter temporis angustiam vix inspicere potui, nedum cum Arseniana ἐξδοῦσαι conferre: Scholia in Troades et Rhesum, praeter pauca in Rhesum, quae nuper protulit Matthiae, nondum edita sunt. Quae pertinent ad Troadas, fortasse nonnisi in hoc codice Romano extant. Certe bibliotheca Laurentiana, qua sola in scholiis ad posteriores tragoedias colligendis usus est Matthiae, nullum codicem habet, ipso teste, qui eam tragoediam complectatur.”

I. B.

Sequitur Amatii praemonitum

AD LECTOREM.

Monitos vellem viros doctissimos, ad quos haec schedae nostrae pervenient, scholia ista adeo minutis, deficientibus, et evanidis litteris scripta esse, ut palaeophilos superiorum ac nostrorum temporum deterruerint: Nec certe per chartae genus, quod bombycinum appellamus, auxilii aliquid a medicaminibus illis sperandum erat, quae nunc membranis adhiberi solent. Nos quidem plura etiam emendare et supplere meditando potuissemus: